



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Dispvt. VI. De adoratione, & cultu debito humanitari Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

factum fuisse certum est. Id quod tam de iudicio priuato, cum primum illi viatores esse desierunt habito: quam de iudicio alio priuato, quod occultum nominatur; habeturque de iis, qui adhuc viatores existunt, intelligendum est: cum æque de vtriusque iudiciis ratio facta probat, vt considerari patebit. Verum quoad accidentale præmiũ, vel supplicium post Christi aduentum, & præcipue ipsius mortem (v. g. gaudij de penitentibus peccatoribus, & denuo saluatis in Beatis omnibus, pœnæque de accessu nouo condemnatorum in damnatis) de eis etiam, qui antecesserunt habitum iudicium ab humanitate Christi fuit. Id enim Christo, cui omne iudicium traditum à Patre fuit, & Beatis gloriosius est, atque damnatis acerbius: nec ratio assignata pro præcipua conclusione quidquam contra hoc præstat: cum iam Christus, iudiciariaque eius potestas existerent.


2 Dico secundò: priuata omnium hominum, qui post Christi mortem iudicati sunt, iudicia non occulta à Christi humanitate fuerunt. Non est adeo communis conclusio, neque adeo in Scriptura expressa. Eam tamen docent Soares; p. 2. d. 5. sect. 2. §. *Tertio omisso* atque à reliquis Theologis prætermittenda potius fuit, quam negata. Probat ex illo Ioan. 5. *omne iudicium dedit filio* similibusque supra datis: quæ cum de iudiciis, etiam his priuatis non occultis, quæ sub omni iudicio continentur, intelligi sine vilo incommodo possint, Christoque gloriosum, vt homines intelligant Christi misericordia saluandos, vel iudicio damnandos se fore, in ipsiusque reuerentia, & timore viuant, gratumque etiam quæ hominibus fatigant habere. Quam sanè rationem Christus Dominus eo loco subiunxit dicens: *vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ad hanc etiam conclusionem faciunt prima, tertia, & quarta congruentia datæ q. 1. cert. 2. n. 2. quæ in iudicio priuato non occulto, in quo animæ de vita decedentium sententiam super antea factis suis operibus audiunt, eandem habent energiam sicut & duæ rationes datæ ibidem num. 1.

3 At dices: si omnes animæ à Christi humanitate iudicantur: ergo, vel Christus ad hominis decedentis locum aduentat; vel animæ ad Christum deferendæ sunt, vt sententiam audiant: atqui neutrum fieri potest: ergo non iudicantur priuato eo iudicio animæ omnes morientium post Christum. Minor probatur; & primò, quòd Christus ad morientium loca non veniat (licet id videatur docere Innocent. 3. 2. de contempu mundi. c. 43. Eusebius Carthus. 1. 3. c. 46.) Tot enim hominibus morientibus per instantia singula oporteret Christum in perpetuo esse totum, pluribusque præsentis circumscriptionis replicatis: atque iudicem tantum ad iudicandos reos venire, ac non potius hos ad ipsius tribunal deferri. Sed neque id fieri potest (vt putare videntur August. de vanitate seculi. c. 1. Bernard. c. 2. meditat. Hugo Victor. 1. de anima. c. 2. Chrysost. hom. 14. in Matth. & 46. ad populum) Etenim ad cœlum vbi Christus est ad dexteram Dei sedens, quòd nihil coinquinatum ingredi potest, nequeunt iudicandæ perditorum animæ deferri. Item neque de loco corporum eo mutari instantaneè possunt, vt oportet, vt ibi in primò mortis instanti iudicentur. Respondetur facillè neutro opus esse, vt animæ à Christi humanitate iudicentur, sed satis esse & eleuentur intellectualiter ad sententiam audiendam: id quod Patres primi aduentum Christi ad animas, secundi aduentum animarum ad Christi tribunal apellarunt, vt bene Soar. §. *quocirca.*

Dico tertio. Iudicia priuata occulta habita cum vincibus hominibus post Christi mortem à Christi, vel anima, vel humanitate post resurrectionem fuisse. Ita Soar. §. citato *Tertio omisso* vers. fin. de Christi humanitate post resurrectionem. Probat ex Act. 16. vbi Paulum, & socios volentes ire Euangelizatum Bithyniam:

non permisti eos Spiritus Iesu: in pœnam, haud dubio, incredulitatis, & duritiei provincie illius. Probat secundò: quia, cum iudicia hæc occulta circa dona gratiæ, vel suspendenda in peccati pœnam, vel vberitate donanda in præmium virtutis tota versentur, ad Christum hominem omnis in homines gratiæ fontem, caput, & authorem spectare in primis videntur. Pro hac etiam conclusione faciunt rationes Theologice, & prima, ac vltima congruentia datæ. q. 5. cert. 2. num. 5. & 2. Hæc sanè omnia, quæ de tota Christi humanitate iudicia hæc occulta susceperunt post resurrectionem, de ipsius anima in triduo mortis eandem conclusionem suadent. Equè enim gloriosum vtrique est, æqueque debitum atque æque respectu vtriusque est possibile.

5 Dico quartò: humanitas Christi, adhuc ante mortem; iudicia hæc occulta hominum præmiarum exercuit, non autem punitiua eorum, licet bene poterit punitiua Dæmonum. Triplicem partem habet conclusio. Prima de iudiciis præmiarum hominum. Probat: quia ab instanti incarnationis iudiciariam potestatem ad ea etiam iudicia occulta habuit: atque iudicia hominum præmiarum non opponantur, sed conducebant eorum saluti, ad quam hominibus impertiendam ex sine incarnationis, suoque munere Redemptoris Christus homo venit, vixitque, quando vixit: ergo ea exercuit quando vixit. Secunda pars negatiua de iudiciis occultis punitiuis hominum probatur ex Ioan. 12. *si quis audierit vocem meam, & non custodierit ea ego non iudico eum.* Ac rursus. *Non veni, vt iudicem mundum, sed vt saluifacem mundum.* & c. 3. *Non misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* In quibus continetur ratio à priori: quia ea iudicia occulta punitiua. Occulta, cum sint de gratiæ denegatione; muneri Redemptoris opponuntur: à quo, quando vixit, nusquam, vel leuissimo actu defecit. Tertia pars affirmatiua de iudicio punitiua dæmonum constat: quia iudiciaria potestas munere Redemptoris illorum, quod nusquam habuit, ab eo exercitio non impediatur: quare eis operata plura denegauit, atque ab hominum oppressorum possessione nolentes eiecit, aliisque sepe compefuit. Quod totum ex iudiciaria etiam humanitatis potestate factum reor.



DISPUTATIO VI.

De adoratione, & cultu debito humanitati Christi.



MULTA hic Doctores præter rem examinant, quæ disputationem onerant potius quam honorent. Eiusmodi sunt de natura, & diuisione adorationis. Ad quam virtutem adoratio spectat. Quibusnam actibus exhibetur: inter- nis etiam & insensibilibus, an sensibilibus solum, & externis: similiaque plura controu. de religione à nobis examinanda d. de adoratione in vniuersum sumpta. Inde tamen pauca, in quibus nulla Doctores controuersia est supponenda, quam disputanda nobis in præsentiarum erunt. Adoratio igitur sic generatim definitur: *Honor alicui exhibitus in significationem excellentiæ ipsius respectu honorantis.* Vbi honor exhibitus, genus est. Vnde August. contra ferm. Arrianor. c. 3. aiebat: *Honorat omnis qui adorat: non verò adorat omnis, qui honorat.* Quoniam verò excellentiæ, quas præ nobis in aliis recognoscimus, atque honore exhibitio recognoscere significamus, diuersæ, etiam de super- naturalibus

naturalibus loquendo (de quibus solum in præfenti) sunt: pro earum diuersitate diuersas adorationis species diuidimus. Etenim excellentia perfectionis alia est purè increata, & diuina, pro qua adorationem *Latriæ* assignamus: alia purè creata, vt est in Sanctis, & iustis ferè omnibus, ad quam adoratio terminatur: alia, quæ licet purè diuina, & increata non sit, ast Deum concernit, vt Dei Maternitas, ob quam Deiparam adoratione *hyperdulæ* veneramur. Quàmnam ergo adoratione ex enumeratis Christi humanitas, siue Christus, quæ homo, non autem, quæ Deus, vel per idiomatum communicationem, adorandus sit, præfens disputatio disquirat, & primò quidem an adoratione *Latriæ*. Quæ in re quid in Ecclesia sit hæcenus definitum examinandum prius erit. Deinde autem quid scholasticè similis sit verò. Tertio an humanitati Christi adoratione dulci possit exhiberi?

QVÆSTIO I.

Definitane hæcenus fuerit adoratio latriæ humanitati Christi exhibenda.

MOC seorsim examinare placuit, tum ob varias doctorum ea de re sententias, tum, vt explorato, quid de fide sit, securus, ac liberius discursus Theologici circa rem ipsam adorationis humanitati Christi, siue Christo, quæ homini debita, procedant.

CERTAMEN I.

Doctorum placita, & historia fundamenta ponuntur.

VAlquez d.95. c.2. à num.6. definitum putat à Concilio Alexandrino, & Ephesino I. locis recitandis, humanitatem Christi adoratione *Latriæ* adorandam esse. Huic subscribere Afecclæ plures, & Bernal. d.69. sect.1. §.1. contra verò nunquam siue ibi, siue alibi definitum esse, docent Gabr. in 3. d.9. q.1. 2.2. concl. 3. & 4. & in Can. lect. 3. & 4. Soar. d.53. sect.1. §.ex hoc principio. Lugo d.34. num.27. VVadingo. d.12. dub. 4. num.34. in eademque procul dubio sententiâ fuerit, plerique Theologi, tam ex antiquis, quam ex Recentioribus, qui *Latriæ* cultum humanitati Christi deferendum negarunt, quos infra recitabimus q.2. solum reprehendendi hic videntur Soar. §. dico ergo primo, & VVadingo num.35. quod affirmatiuum partem de mente Patrum, aliud contra Nestorium definitum, esse fateantur: eum quo non stat non esse definitam. Licet enim occasione erroris vnus, aliquid Concilia, & Patres deipre possunt, definitum sequendum est, quoties propositionum, quas definiunt, eum etiam sensum, & Patrum in eis mentem constituerit: quare, si in eis definitionibus sensus, & mens Patrum esse deprehenditur, affirmare humanitatem Christi adorandam esse adoratione *Latriæ*, affirmatiua pars definita dicenda est. Secundo, quo ausu VVadingo docet absolute contra recognitam à se Patrum mentem humanitatem Christi non esse adorandam adoratione *Latriæ*; sed, vt res solide, & exactè tractetur, ad Concilia & Patres veniatur.

2 Nestorius itaque, licet in vnitate personæ Christi sese Patribus opponeret, tamen in adoratione hominis Christi censuit eadem adoratione, quæ Verbum esse adorandum, licet non eadem indiuidua; sed specie solum eadem: quin ex hac vnitate, & æqualitate adorationis, & dignitatis vtriusque personæ Christi

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

vnionem moralem hominis, & Verbi, quod in humanitate, seu homine, Christi inhabitat, statuebat, vt physicam Catholicam negaret. Constat hæc Nestorij, & suorum sententia ex Cyrillo Alex. in defensione anathematismo: contra oppositiones Orientalium ad anathematismum 8. in huius, & aliorum expositione. Ex concilio Rom. sub Martino Pap. c.4. & 5. ex Ephesino Concilio can. 8. quocirca Cyrillus non tam de qualitate adorationis, quàm de vnitate personæ, & contra pluralitatem personarum in Christo cum Nestorio decertauit. Quoniam verò Eutyches ex vnitate personæ Christi Catholicam vnitatem etiam naturam per conuersionem vnus in aliam, vel commixtionem, & conflationem vtriusque in tertiam etiam hæreticè docebat, quo verbi naturam mutatam, atque imminutam deteriorique dignitatis, & perfectionis inferioris videbatur asserere, ita de vnitate personæ Christi etiam quoad adorationem indiuiduè eandem egit Cyrillus, atque cum illo Concilia citata, vt in Eutychemet labi non viderentur.

3 Tria igitur contra vtriusque errorem statuuntur. Primum vnam personam adorari, atque vnica adoratione *Latriæ*, non autem duas, duabusque *Latriæ* adorationibus, vt volebat Nestorius. secundum: contra Eutychemet adorari Verbum etiam, vt vnicum humanitati adoratione *Latriæ*, neque ex vnione, quasi perfectio ipsi aliqua periret, aut decrederet, esse inferiori cultu adorandum. Tertium, Nestorij doctrinam de æqualitate adorationis personæ humanæ, & personæ Verbi, si diuersa essent iuxta illius errorem, nequaquam posse consistere. Prima duo habentur epist. contra Nestorium 10. Cyrilli Alex. recepta à Concilio Ephesino his verbis: *cauemus etiam hoc modo loqui de Christo: propter eum qui induit, indutum venero, & propter inuisibilem visibilem adorari* (quia duo significantur) *sed vnus idemque Christus Iesus, vnigenitusque Dei filius animo concipitur, qui vna adoratione cum proprie carne adoratur.* Similia habet anathematismus 8. Cyrilli, qui est Canon 8. Concilij Ephesini 1. *si quis audet dicere hominem assumptum adorari cum Deo Verbo oportere, vt alterum cum altero* (Nam qui dicit, cum, manifestè ostendit alterum cum altero adorari) *& non magis vna adoratione honorificari Emmanuelem, & vniam ei glorificationem adaptat propter hoc, quod Verbum factum est caro quasi inde deterioris dignitatis Verbum, talis anathema sit, atque in eius Anathematismi defensione contra Orientales post multa aiebat Cyrillus: igitur factus est anathematismus contra eos, qui modis quibus diuidunt Emmanuelem in hominem propriè, & in Verbum Dei propriè: quem nobis vnum & eundem Theologorum sermo predicauit.* Neque in his latum discrepat vniuersum Concilium Alex. à quo primum Canones, & anathematismi citata Epist. contenti probati ad Verbum sunt. Similia plura habet Cyrillus ibidem, & in defen. anathemat. 3. atque Epist. ac Euopt. contra Theodoretum.

4 Cæterum opponebant Orientales malè reprehendi Nestorium à Cyrillo in defensione 8. anathematismi de particula *cum* quasi supposita in Christo necessario diuidat: quandoquidem ipse in ea, defensione longè dixisset *Verbum respectu vnus existens filius, cum sua carne adorandum.* Respondet autem ille ibi, & scholiis de incarnat. c.26. particulam *cum* absolute distinctionem personarum Nestorianam in Christo, significare: nemo enim carnare, ambulare, viuere secum dicitur; ex adiunctis verò corrigi posse, vt non eam significet, sed solum partium suppositi eiusdem diuersitatem, vt ab ipso fuit prælitum per particulas *cum carne sua.* Etenim illud *sua* partem suppositi, & personæ vnus, quæ Christus est, aperte demonstrat. Inde etiam Cyrillus verbis citatis anathematismi 8. inconsequentiam Nestorij obiter carpit de æqualitate adorationis personæ humanæ diuersa à diuina in Christo, quam nequit facere inhabitatio diuina in illa

per

per gratiam, & affectum, sicut in Elia, & Moyse, adhuc per idiomatum communicationem, ad quam inhabitatio Dei per affectum, & gratiam in homine satis non est: vt longius Nestorianos ea de re persecutus offendit late Cyrillus idem in scholiis de incarnatione cap. 27. quare multo magis sufficere ostendit, vt persona humana diuersa à Persona Verbi ratione eius inhabitacionis equali adoracione cum Verbo adoretur, vt volebat Nestorius. Ex quibus patet Cyrillum, & Concilia contra Nestorium contendere vnā tantum personam esse in Christo, quæ adoretur adoracione lætæ, idque necessarium prorsus esse, vt ea adoratio hominem adhuc per idiomatum communicationem pertingat; ac denique vnione ad humanitatem eam personæ Verbi, quæ vna in Christo est, adoracionem non impediri: quare de humanitatis ipsius adoracione lætæ nihil Cyrillus, & Concilia egerunt, nedum statuerunt, sed solum de adoracione personæ Christi.

3 Et hanc quidem interpretationem illustriorem reddunt testimonia duo quæ potissima pro aduersariis iudicabantur ex 5. Synodo gener. collat. 8. can. 9. qui sic habet: *si quis in duabus naturis, supposito diuersis, adorari dicit Christum, sicut Nestorius, ex quo duas, adoratio nes, introducunt separatim Deo verbo, & separatim homini: vel si quis ad inter emptiorem, vel confusiōnem Deitatis, & humanitatis, Eutychemam, vnā naturam, suā substantiam eorum, quæ conueniunt introducens, sic Christum adoratur, sed non vna adoracione, quæ seorsim & secundum se, Deum Verbum incarnatum, quasi incarnatione deterioratum, cum propria, non confusa, ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesie traditum est: non autem ex tunc traditum est carnem Christi adoracione esse adorandam (quod adhuc est sub lite) sed vnā solam personam Verbi in Christo cum carne, nec confusa, nec confusa cum Deitate, esse adorandam adoracione lætæ, ipsi secundum se debite, & aliū anathema sit. Secundum ex Athanas. Alexandrino, quem sic recitat Cyrillus de fide ad Regin. cap. 4. & defensione anathematismi 8. *Confitemur esse illum, Christum, filium Dei, & Deum secundum Spiritum, filium hominis secundum carnem; non duas naturas supposito diuersas, vnū filium: alteram quæ adoptet, alteram, quæ non adoretur; sed vnā naturam Dei Verbi, id est vnā diuinam personam, incarnatam adorandam cum carne sua vna adoracione, quæ secundum se adoranda esset: cum per carnem deterioris conditionis non fuerit effecta.**

CERTAMEN II.

Oppositionibus occurritur.

EX germanā hanc Conciliorum, & Patrum explicacione aduersariorum fundamenta facile subruent. Constat enim aliqui amplius definitum ab eis fuisse præter vnitatem personæ contra Nestorium, vt contendit Vasquez num. 11. contra Soarez, non autem adoracionem lætæ humanitati Christi deberi: in quo non discorderet Nestorius, vt dicebamus cert. 1. num. 1. sed in eo, quod vna adoratio indiuidua vnus personæ solum in Christo esset. Deinde contra eundem contenditur à Cyrillo, & Conciliis, non posse suppositum humanum, siue personam à diuina diuersam in Christo adorari equali adoracione, ac diuina; ac proinde non posse in eius sententiā, vnā adoracione cum carne Verbum adorari, cum sint supposita diuersa. Tertio contra Eutychemam statuitur Verbum ob assumptam carnem nequaquam deterioris conditionis, & dignitatis effectum fuisse, ac proinde adoracione eadem, quæ secundum se Deitas, & persona diuina adoranda sunt, neque lætæ, adorandas esse cum carne in Christo vnitæ sunt. Id quod expressius adhuc

docuit Athanas. orat. 7. contra Arrian. sub inir. *Nec istiusmodi corpus seorsim discriminatum à Verbo adoracione prosequimur: neque Verbum adoratur, Verbum à carne longè seponimus. Sed cum sciamus, vt dictum est, Verbum carnem esse factum, illud iam in carne sicut Deum agnoscimus. Quid clarius? vnde respondetur facile omnibus Patrum testimoniis de adoracione Verbi cum carne sua, vna adoracione.*

2 Sed instat Vasquez non renuentibus Soario, & Vvadingo proximè: saltem indirectam adoracionem lætæ humanitatem attingere vnitam de mente Patrum esse: quia Cyrillus immediatè ad sententiam recitatam cert. 1. num. 4. initio eius rationem sic reddit: *quænam modum scilicet hominis anima cum suo corpore honoratur. Atqui animi corpus saltem indirectè eadem adoracione, atque animus: ergo, & caro saltem indirectè eadem Verbi vniti adoracione adoratur. Fateor me adoracionem istam indirectam nunquam potuisse percipere: etsi enim ratione Verbi vniti, ac non ratione sui humanitati conueniat, ipsa tamen obiectum, quod adoratum esse debet, & directum ea adoracione, quæ ipsi ob eiusmodi vnionem debeatur, quæcumque illa sit. Respondeo ergo adhuc sub iudice esse an corpus eadem adoracione, quæ anima calendum sit, etiam cum ei est vnitum, vt bene Vvadingo num. 34. 8. probatur secundo. & vero similiorem esse negatiuum partem, vt ex probatione pro nostra sententiā danda quæ patebit.*

Instat ex Epiphano in Ancorato fol. 3. *coadoratur autem cum ipso Rege etiam purpura quam gestat; ob autem Rex hanc exiit: & in locum reposuit non amplius vestis purpura adoratur. Bodem exemplo ad rem hanc usus fuit August. serm. 58. de verbis Domini vultus, si quis vestrum, aut purpuram, aut Diadema regale incens inueniat, nunquid conabitur ea adorare? cum verò ea Rex fuerit indutus periculum, mortis incurrit, si ea simul cum Rege adorare, id est coadorare, quis contempserit. Respondetur hæc minus vrgerè: nam purpuram Regis secundum entitatem ratione coniunctionis cum Rege non esse equalis dignitatis cum Rege certissimum est: quatenus autem Regem, cuius insigne est, cum eam Rex induit, non magis adoratur secundum entitatem, quam imago Regis, quæ secundum id, quod est, non adoratur, sed secundum id, quod repræsentat.*

3 Secundo, nisi verba horum Patrum decurata legantur, nil adhuc apparentis præsidij afferent aduersariis. Sic enim immediatè Athanas. cum sibi obiectum adoratus ergo adoras creaturam, ipsum corpus: respondit: *ingens est vesania eorum, qui talia dicunt. Nam Rex purpura indutus ab omnibus adoratur. Numquid ergo purpura adoratur, aut Rex? manifestum est, quod Rex: non purpura. Vnde illa coadoratio purpuræ non secundum se intelligenda est, sed vel imaginis Regis ad instar, cuius insigne purpura est, vel sumpta carne, & humanitate pro supposito Verbi ac non secundum se præcise, sed pro hoc homine, vt re ipsa est idem, qui Deus, quin adoracioni obicit caro vnita. Audi Augustinum immediatè ad verba obiecta loquentem: *ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à diuinitate suscepta, atque Deitati unita est: vt non alium, atque alium, sed vnū eundemque Deum & hominem Dei filium constare: quatenus eadem persona, quæ filius Dei sine carne fuit, incarnata peccauerat, estque homo, atque adoratur cum homo adoratur. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Pharisæus, vel Paulus, id est, si non idem sit Deus, qui homo, illi ego nunquam credo, nec seruo. Neque alius est sensus Augustini in Psalm. 93. ad id adorasse scabellum pedum eius: *Nec carnem Christi manucat, nisi prius adorauerit, inuentum est quomodo adoretur scabellum pedum Domini: & non solum non peccetur adorando, sed etiam peccetur non adorando. Quia idem est Deus, qui homo, & scabellum pedum ipsius secundum humanitatem est, & Athanasij***

thanasij de incarnat Verbi. fol. 2. quia increati corpus factum est, ideo eius corpus dicitur, cuius factum est: ac proinde illi sacra offerri, adhiberi que vestram adorationem, quam diuinam esse subdit: quia ita illius est, vt sit ipsa increata persona, cuius est.

4 Similia de coadotatione purpura cum Rege, sentitque eodem habet Damascenus pro nostra sententia recitandus q. 2. sed,

Instabis exemplo à contrario de timore tangendi ferrum ignitum, cui comparauerat humanitatem Christi cum Deitate Damascenus: vnde ait eadem adoratione cum illa esse adorandam, sicut eodem timore timetur, fugiturque ferrum ignitum quod timore tangere propter ignem coniunctum, atque simul fugio ferrum, & ignem. Verum ferri substantia non timetur, sed ignis inclusus, licet, quia in ferro est, externè fugiatur.

Instabis secundo ex Chrylostomo hom. 5. super Epist. ad Hebr. dicentem. Reuera magnum, & admirabile, & stupore plenum est carnem nostram sursum sedare, & adorari ab Angelis, & Archangelis. Sed hic non dicitur adorari latria, sed alia, quæ ad superiorem Angelicam dignitatem humanitatis Christi pertinet.

Instabis tamen à Leone 1. ser. 1. de Ascensione satis dici debere esse latriæ verbis illis. Nec ullis sublimitatibus modum, terminum iustum, sua promotionis habitura, humanitas, nisi æterni Patris recepta consensu illius gloriæ sociaretur in throno, cuius natura copulabatur in Filio. Respondetur sermonem esse de locali sessione, non de adoratione: de gloria verò Dei, cui dicitur sociari, solum intelligitur sociari materialiter: quia opus non est, vt humanitas ablit, vt Deus, cui vnitur adoretur.

Denique dices Trident. sess. 13. cap. 5. dicere, indubitatum in Ecclesia semper fuisse latriam vero Deo debitam Eucharisitice debere, quia continet Deum, quem procul dubio continet humanitas. Sed inquiri an inde liceat inferre species Sacramentales, quæ Deum continent secundum se adorari latria debent: an solum, vt signa, & imagines Christi contenti? extremè hoc Catholice dices: idemque probabis de humanitate, quod sine hoc argumèto supra nos dedimus.

QVÆSTIO II.

Possitne Christi humanitas adorari adoratione latriæ.

Integratè discursui Theologico reliquit quæstio prima præsentis questionis materiam. Videndum igitur est an humanitas ratione Deitatis vnita eo vsque dignitatis excreseat, vt latriæ adoratione mereatur. Neque enim audiendus est Vviclefus, apud Vvaldensem. 1. doctrinal. fidei a. 3. c. 99. asserens humanitatem, à Verbo etiam dimissam, latriæ, vt pote Redemptorem adorandam esse; in quo, & errat, & implicat: cum à sola Deitate vnita possit esse Redemptor.

CERTAMEN I.

Negatiua sententia stabilium.

1 Latriæ adorationem perfectam, Deoque propriam humanitati Christi debere docent s. Th. q. 25. a. 1. & 2. vbi Caietanus, & commentatores. Mag. in 3. d. 9. Albert. a. 9. s. Bonan. a. 1. q. 1. Ricard. a. 2. q. 1. Scotus. q. 1. s. de tertio articulo. Durand. q. 2. num. 7. Artus. a. 1. sine. Capreol. q. 1. a. 1. concl. 1. Almain. q. 1. Maior. q. 1. concl. 4. Marsil. q. 8. a. 2. concl. 1. & 2. R.P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

Vvaldenp. t. 3. de Sacramentalib. c. 119. Vaquez Soarez, Vvadingo, & Bernal citati q. 1. Ex quibus nemo præter Vvadingo s. dico secundo directam adorationem latriæ humanitati Christi concedit, sed solum indirectam, seu coadotationem, quatenus est pars Christi, & suppositi diuini directæ adorationi. Quocirca Soar. s. Secundo oportet immetito Durandum vitanda singularitatis reprehendit, quia dixit humanitatem latriæ per accidens adorari: cum motum participatione totius quod mouetur, motum per accidens Aristoteles appellauerit. 5. 5. physicor. c. 1. quod ipsum de motu intentionali per adorationem siue adorationis dicendum est. Nos tram verò negatiuam conclusionem docent Rabbanus sic recitatus ab Alexandro: Non enim adoramus eam, humanitatem, omnino in terram prestari, nec sacrificamus, sicut Deo, quod nos ex nihilo creauerit, sed quod per ipsum redempti sumus: ideoque dicitur latria communi quadam significatione (licet ratio hæc satis firma non sit) Alexand. 3. p. q. 30. m. 2. & 4. p. q. 2. m. 3. a. 1. ad vlt. Gabr. in 3. d. q. 1. a. 2. concl. 3. & 4. & in caupon. Lect. 50. dub. de hac re. Argentina supra. a. 9. sub finem oppositam Sententiam retractans, Corduba. lib. 1. 5. dub. 3.

2 Probatur testimonio Epiphani in Ancorato recitato à nobis. q. 1. cert. 2. vbi cum dixisset coadorari purpuram cum Rege, quare, & carnem cum Verbo objicit sibi: ergo adoras creaturam ipsum corpus. Respondet autem: ingens est vesania eorum, qui talia dicunt. Nam Rex purpura indutus ab hominibus adoratur. Numquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifestum est quod Rex non purpura: siue ad rem nostram Verbum carne vestitum adoratur non caro.

Probatur secundo simili testimonio Damasceni. 7. de imaginibus versus med. vbi eidem obiectioni respondet. Non materiam, sed materiam auctorem adoro, qui propter me materia factus est, & in materia voluit habitare, vt per materiam mihi salutem præberet; materiam verò, per quam mihi Nilus parta est colere non desinam; non tamen, vt Deum. Et pag. 2. dixerat. Adoro simul cum Rege & Deo corpus purpuram: non tamen indumentum, neque, vt indumentum, neque, vt quartam personam, ablit sed vt, quæ declarata sit Deus, effectaque id, quod vnxit sine mutatione. Quem locum nescio, quæ fronte aduersarij nostræ huic conclusioni opponunt. Etenim in primis corporis purpuram, siue humanitatem, quæ Verbum Deus indutus est, negat se adorari latria, etiam vt indumentum Verbi per vnionem est. Deinde ait ea solum ratione à se adorari, quatenus declarata effectaque est Deus, qui vnxit: hac autem ratione non humanitas, quæ Deus nec declarata per vnionem fuit, sed homo, siue persona, quæ eadem Deus est: ergo persona, siue habens humanitatem solum adoranda latria dicitur à Damasceno) quæ diuina, ac Deus est, humanitas autem non ita adoranda à Damasceno prædicatur.

3 Vt autem res hæc firmis Theologicis rationibus fundetur, ac simul cunctis paralogismis rationum aduersantium, occurratur animo aduertendum est, quod, in caput etiam suum, obseruauit Vvadingo s. Nota subtiliorem eorum præstantiam excellentiam quamuis & perfectionem ab aliquo participari, quo ipsi archiūs, intimiusque coniuncta est. Vnde, quæ physica vnio ei iunguntur excellentiora, dignioraque euadunt iis, quæ localiter solum eidem excellentiæ iunguntur: quare excellentiori ampliori que cultu digna est humanitas Christi Deo physice vnita, quam vestes, & ex vestibus inconspicuis tunicæ dignior. Et ratio est aperta: quia, quo intimius forma subiecto iungitur, eo magis sese illi communicat, & ab eo participatur.

Obseruandum inde secundo venit: diuinam excellentiam, & perfectionem nobilior, præstantius, longèque magis participari à Deitate siue à Deo, quam ab humanitate Christi. Nam licet ab hac per vnionem

○○○ 2 physicam

physicam habeatur, ac participetur: à Deo tamen, vel Deitate habetur per coniunctionem, vt sic loquar, seu possessionem identitatis, qua non solum physice vnum quid compositione constituitur, sed physice etiam vnum atque idem sit, vt non tam excellentiam habeat diuinam quam ipsa excellentia diuina est. Ex quo fit humanitatem esse excellentem diuinè adiectiue solum, sicut paries est albus adiectiue, siue habens propriè albedinem; at Deitatem, vel Deum esse excellentem diuinè substantiue, atque absolute Deum, quod nusquam habet humanitas, licet eandem habeat Deitatem vnione communicatam.

4. Ex his probatur conclusio: quia cultus patriæ perfectæ solum deferri potest, ac debetur summe perfectæ entitati, non autem entitati perfectæ minus summæ: atqui humanitas Christi, quantumvis vnita Deitati, & excellentiæ diuinæ, non euadit summe perfectæ, siue æque perfectæ, ac Deus summe perfectus: ergo non debetur, deferri potest adoratio patriæ. Consequenter est legitima. Maior per se nota: siquidem entitati summæ perfectæ adoratio aliqua summa, nempe patriæ, debetur: quæ minus perfectis entibus reliquis sit improporcionata, & excedens: alioqui summæ perfectæ entitati non esset æqualis. Minor probata abundè est num. 3. Arguo secundo, quia adoratio patriæ perfectæ excogitata est, & aduenit ad venerandum Deum, qua Deus formaliter est: ergo est propria Dei, vt Deus est: ergo implicat adorationem patriæ competere alicui, quod realiter formaliter Deus non sit: atqui humanitas Christi, quantumvis Verbo vnita, Deus realiter formaliter non est: ergo implicat competere humanitati etiam hypostaticè vnitæ, adorationem patriæ. Hoc argumentum sub his terminis, licet non adeo efformatum continent verba data num. 2. ex Damasceno, & Epiphano. Confirmatur: quia cultus patriæ est proprius primæ causæ, authoris, ac primi principij, & finis nostri: atqui humanitas vnita talis non est: ergo non potest esse illius cultus patriæ. Mille alijs modis efformari sub alijs terminis hoc argumentum potest, quod tribus hisce instruximus.

5. Soar. §. *Neque contra hanc conclusionem* respondet his rationibus directam adorationem patriæ humanitatis Christi per se impugnari; secus autem coadorationem eius cum toto Christo, cuius pars est, vel cum Verbo, cui est humanitas vnita, siue adorationem indirectam partis ratione totius, vel suppositi, quod adoratur directè: sicut anima mouetur indirectè, & per accidens impressione impulsus ad corpus directè & per se mouendum ratione vnionis primæ ad ipsum; licet per se, & directè anima eiusmodi impressione non moueatur. Sed contra: quia, licet indirecta ea motio in physicis motibus inueniatur, at verò in motibus intentionalibus, cuiusmodi est adoratio, quæ voluntaris affectum includit, ea solum attingi possunt, in quibus formale motuum recognoscitur: ergo, vt humanitas adoratione patriæ attingatur, debet in ea eius motuum recognosci: tunc autem non indirectè, sed directè adoranda esset humanitas: quod fieri non posse conuincitur per te: quia non est summè excellens, adhuc per vnionem, humanitas, neque Deus, neque prima causa. Respondere possis ex Vyadino §. *vestes, vero*, patriam Verbo vnito exhibitam ferri in humanitatem sibi vnitæ confusè. Hoc quidem verius dicitur; adeo enim confusè fertur in illam, vt neque intellectu percipi, percipiue queat, nedum explicari, nisi modo, quo vestes Christi adorari ibidem ait: quatenus eis denudari Christus, vt adoretur non debet: at hoc non est vestes simul adorari patriam cum Verbo, aut Christo, sed eam adorationem Verbo non impedire, vt supra docebamus.

CERTAMEN II.

Eiusdem veritatis ulterior probatio conficitur, communicatio alia mutat, & corollaria quedam sequuntur.

1. **P**robatur vltimis solet nostra conclusio à patriæ quia, licet humanitas Christi habeat per vnionem Deitatem & sanctitatem substantialem diuinam, sitque sancta adiectiue diuinè, quia tamen est sancta diuinè substantiue, neque Deus, quare neque amabilis æque atque Deus ipse, non potest amari amore super omnia creata, sicut Deus: cum supra ipsam humanitatem amabilis non sit: ergo licet eadem humanitas habeat per vnionem adiectiue excellentiam diuinam, quia tamen eam substantiue non habet, neque est Deus, non erit adorabilis super omnia, scilicet adoratione propria Dei, & summa, nempe patriæ.

Dices primò: amorem esse affectum purè internum, & præcisium, secus adorationem, quæ externo actu summisionis, qui præcisius non est, consummatur. Sed contra: quia adoratio actu interno summisionis potest consummari: quare, & esse purè internus, & præcisius actus potest. Secundo: quod actus externus summisionis, quo aliquando, vel semper adoratio consummatur, sit adoratio, habet ex affectu interno summittendi se ob excellentiam personæ adoratæ, tanquam ob formale motuum: ac hic affectus æque internus, & præcisius est, atque amor: ergo, si nequit amari humanitas super omnia, quia amor præcisius est motiuorum, atque in humanitate abest motuum amoris super omnia, nequibit ex affectu illo interno æque præcisio adorari humanitas Christi: vel, si ex eo affectu potest adorari super omnia, ob sic habitam excellentiam diuinam, poterit & amari super omnia ob eodem modo habitam Deitatem & sanctitatem diuinam.

2. Dices secundò, amore super omnia velle nos Deo bona intrinsece possessa identicè, quæ ita velle humanitati non possumus, cum quæ nusquam identificantur; adoratione vero super omnia solum velle nos eum cultum aptare toti Christo, eiusque humanitati, quam includit: quod valde est dignum. Sed contra: quia adoratio super omnia debet esse ob excellentiam diuinam intrinsece, atque identicè possessam: non secus, atque amor super omnia ob bonitatem intrinsece possessam, atque identicè: ergo non magis exhiberi cultus, etiam externus eo affectu, & motiuo (ex quo vnitas adorationis de sumenda necessario est) valebit, quam amor. Respondet tertio: Logice amorem super omnia ob bonitatem diuinam identicè esse debere, secus coadorationem, quæ potest esse ob excellentiam non intrinsecam identicè. Sed an aliquid discriminis assignatur inter coadorationem, & adorationem? si assignetur idem assignandam erit inter amare, & coamare: quare inferretur humanitatem Christi coamari ob bonitatem diuinam non intrinsecam identicè humanitati: si non assignetur, manet integrum argumentum. Bernal fatetur paritatem esse intrinsecabilem; at verò negandum esse antecedens: quia amatur humanitas Christi amore Dei super omnia, id est eodem amore, quo amatur super omnia Deus, licet quatenus ipsam pertingit secundario ratione deitatis vnita super omnia creata non sit. Atque eodem modo adoratur secundario adoratione patriæ, qua Deus, cui vnitur principaliter adoratur. Sed hoc non est adorari humanitatem adoratione patriæ super omnia creata, propriaque Dei formaliter, neque amari super omnia formaliter, sed solum patriam, & amore super omnia materialiter sumptis: quia in eundem affectum adorationis, & amor superior, & inferior confluant, de quo non est quæstio præsens. Sed an patriam, siue adorationem super omnia formaliter, qua tali adorari humanitas Christi

Christi possit: quod hæc solutio negat: quare dum negat antecedens totum argumentum, & oppositam suam conclusionem nostram intentam concedit.

3 Probant eandem conclusionem alij ex August. 10. de ciuit. c. 20. dicente: *cum in forma Dei sacrificium cum Patre summatim in forma serui sacrificium esse malit, quâ sumere: ne vel hac occasione quisque existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ.* Vnde arguitur: cuiusque deferri latria potest, potest & sacrificium offerri per Augustinum, & per rationem: quia sacrificium est protestatio supremi dominij vitæ mortisque omnium, quod nusquam habet Christi humanitas: ergo humanitati Christi nequit deferri latria. Respondeo primo: sacrificium offerri posse non solum ei, cui deferri latria potest: licet non ex adeo nobili affectu, atque illi cui potest deferri latria, vt iam dicam: quare malè ex eo medio probari conclusionem posse. Ex quo potius inferretur oppositum, si verum esset antecedens adiuncta particula *solum*. Secundo nego minorem: quam non probant verba Augustini. Tum, quia non loquitur de humanitate in abstracto, sed de homine in concreto, seu Verbo, quod fuit in forma serui, noluit autem, adorari ne homines, qui illud ibi latens non agnoscerent, creaturis puris sacrificare Christianorum exemplo dicerent, atque ad idololatriam animam obfirmarent. Quæ mens Augustini textu ipso adeo claret, vt latioribus argumentis non egeat. Sed, etsi de humanitate ipsa abstractè loqueretur, potius probaret oppositum minoris. Cum enim dicat ex libera voluntate Christi, humana vel diuina ad vitandam occasionem deceptionis & idololatriæ humane, non offerri humanitati sacrificium, supponit absolute illi offerri potuisse. sed, nec præstat ratio: quia humanitati, vt Redemptrici, vitæque spiritualis omnium, ac vitæ, mortisque æternæ arbitra & iudici offerri sacrificium posset, licet non ex nobilissimo latriæ cultu & affectu Dei proprio, vt iam explicamus.

4 Ceterum, licet latria propria, & perfecta deferri humanitati Christi nequeat, vt hætenus probauimus, potest tamen & debet deferri ipsi ob Deitatem, quam vnione habet, latria imperfecta, vel hyperdulia suprema, longe ac pene infinite superans adorationes aliis omnibus creaturis debitas. Christi autem sanguini effuso, atque ex vnio hypostaticè, si quis est & perseuerat, minus perfecta debetur, ac vestibus, quo mediatus, & mediatus Christi carnem contingebant, minus adhuc & minus perfecta, quia minus intimè à Verbo vnio dignitatem participabant. Cruci verò sanguine Christi tinctæ, qua tali, idem cultus debetur qui vestibus, aliisque eodem sanguine imbutis. Cum autem Crux non solum Christi sanguine delibuta fuerit, sed iam pro humanitatis Christi Crucis affixæ imagine ab Ecclesia Christiana nascente fuerit recepta, eodem cultu, quo ipsa humanitas colenda est, siue potius Christi humanitas in illa; sicuti & Sancti omnes in suis imaginibus. Ipsa item Crux, qua imago est, colenda in se aliquo cultu & adoratione erit, inferiori tamen, quam humanitas Christi in illa, quia quæ imago humanitatis Christi est, aliquatenus de prototypi dignitate participat, quæ omnia ex notatione 1. cert. 1. num. 2. facile deducuntur fusiùsque singulatim docemus de Religione agentes controu. de adoratione.

QVÆSTIO III.

Posse humanitas aliunde inferiori cultu adorari?

¶ Vm vnionis hypostaticæ titulo plura supernaturalia dona gratiæ ipsamque hypostaticam vnio-

nem &c. habeat, quæ excellentiæ diuersæ ab excellentia diuinitatis, & Verbi vniti sunt, dubitatur. An ob hæc, quæ inferiores excellentiæ sunt, cultu inferiori latria imperfecta, vt pote illis proportionato adorari Christi humanitas possit?

CERTAMEN I.

Aliorum placita proponuntur.

1 Res hæc longiori, quam par sit concertatione disputatur à Vasquez & Soarez citandis, atque affectis viriùsque. Vt tamen controuersia difficultas nuda perspici queat, & discursus in ipsam collimer, scire oportebit Vasquez & Soar. in eo conuenire, in quo cordatus nemo dissentiri possit. Nempe humanitati Christi sine vnione hypostatica considerata, si id fieri verè & rectè posset, cultum inferioris ordinis deberi, deferrique posse, vt de humanitate Christi *vane* considerata, id est sine Deitatis nucleo docebat Albertus, atque S. Th. 3. p. q. 25. a. 1. ad 1. ex Damasceno lib. 4. c. 3. his verbis *sic intellecta, vt separata à Dei Verbo deberetur sibi adoratio dulia.* Sed differt Vasquez à Soario & Thomis: quod hi dicunt id fieri posse verè & ritè per cognitionem præcisam humanitatis non cognita vnione ipsius hypostatica. Sed licet præcisua cognitio humanitatis dari possit, tamen Vasquez bene ait non loqui Damalcenum, S. Thomam, & Albertum de cognitione præcisua: quia, ex parte obiecti dicunt debere, vt *separatam* considerari, ac *vane* id est sine vnione: id quod nisi iudicio, & cognitione negatiua vnionis, quæ nec vera, nec licita est, fieri nequit: cum certum de fide sit humanitatem Christi vnitam esse. An verò iudicio & cognitione præcisua solum cognita humanitas sub aliis donis adorari dulia, vel hyperdulia possit? ad difficultatem præsentem spectat: quin Damascenus S. Thom. & Albertus de eo quidquam affirmatiue statuerint, cum solum citatis locis loquantur de humanitate Christi ab vnione separata, siue in hypostasi separationis à Deitate.

2 Decertant secundo Vasquez & Soar. atque ex ipsis Recentiores, extra præsentis etiam difficultatis punctum, an humanitas, vt Deificata, siue ob Deitatem adorari queat, quin Deitas ipsa adoretur. Negat Vasquez. Afferit soar. quem ea in re Vasquiani plures sectantur, in quibus est Gaspar. Hurtado d. de ador. difficult. 11. consentie. Bernal citandus num. 55. *S. dico secundo ex notatis num. 52. S. Tertio præmittendum.* Sed malè Vasquiani desertores probant à paritate gratiæ, quæ non adoratur, cum eius subiectum, scilicet iustus, adoretur: cum enim eadem adoratione latria, quæ Deitas, adoranda est, humanitas ob Deitatem vnitam, adoratur in eorum sententia, gratia autem adoratione *dulia*, quæ sancti ob illam adorantur, nequeat adorari, argumentum in eorum sententia à pari est sine paritate vlla: in hunc scilicet modum gratia incapax adorationis, qua ob illam adoratur subiectum, potest non adorari ea adoratione, qua subiectum, cum hoc ob illam adoratur: ergo Deitas capax adorationis, qua ob ipsam adoratur humanitas, poterit non adorari adoratione humanitatis, cum hæc propter Deitatem adoratur. Quis consequentiam non videat, ac sine vlla esse paritate non videat? potest non adorari, quod non potest adorari: ergo potest non adorari, quod potest adorari. Nec feliciter probat Bernal num. illo 52. quia medium amatur propter finem, & tamen non est opus, amore medij amari bonitatem finis: ergo poterit adorari humanitas propter Deitatem vnitam, quin Deitas adoretur. Etenim motuum formale electionis, siue amoris medij, bonitas finis non est: sed sola medij utilitas ad finem præamatam ob suam bonitatem: quare ex eo, quod hæc amore medij amari non debeat

non inferitur non debere adorari Deitatem, cum humanitas ob illam, tanquam ob rationem formalem adorationis adoratur. Imò si paritas teneret probaret, licet non eodem adorationis actu quo humanitas ob Deitatem adoratur, a se simul esse necessario adorandam Deitatem: quemadmodum amor electionis sibi, nequit sine amore intentionis finis consistere.

3 Sin autem nobis, extra rem cum reliquis, ferendum super hoc iudicium sit; censemus contra Vasquez posse humanitatem propter unitam sibi Deitatem adorari, quia Deitas simul adoretur: Probatur: quia cognita excellentia Deitatis liberum physicè, imò sapè etiam moraliter est, illam velle adorare, vel humanitatem ipsi unitam propter illam: ergo possumus velle adorare, vt quod vel ipsam Deitatem, vel humanitatem solam, quin alteram adorare velimus, ob eiusmodi excellentiam Deitatis. Confirmatur: quia ex duobus obiectis materialibus ob eandem etiam rationem formalem vnum prosequi possumus, quin prosequamur aliud: atqui humanitas, & Deitas, siue Deus duo obiecta materialia adoranda sunt: ergo, licet eadem sit ratio formalis adorandi vtrumque, nempe excellentia diuina, poterimus alterum adoratione prosequi, nempe humanitatem, non prosecuto alio, scilicet Deitate, vel Deo per adorationem. Adde eandem adorationem, qua humanitas ob Deitatem adoratur, non posse adorari Deitatem ipsam. Hoc non solum est contra Vasquez sed etiam contra Soar. & Recentiores reliquos, qui, licet vnam sine alia adorari posse ob Deitatem doceant, tamen vtramque simul, & eadem adoratione adorari posse fatentur. Probatur autem facile ex nostra doctrina: quia Deitas, ac Deus nequit adorari ob excellentiam Deitatis nisi adoratione latria perfectæ, & summa adoratione per omnes: atqui humanitas etiam ob Deitatem sibi unitam nequit adorari adoratione latria perfectæ, vt ostendimus q. 2. ergo Deitas nequit adorari eadem adoratione, qua adoratur humanitas ob Deitatem.

4 His igitur expeditis prius, ne presentis difficultatis decisionem confundant, circa proprium questionis huius punctum censent plures humanitatem ob alia dona supernaturalia, atque creatas excellentias posse adorari cultu inferiori eo, quo ob Deitatem unitam adoretur. Ita docent Thomistæ loco citato 3. p. Palud. in 3. d. 9. q. 2. Scotus q. 1. §. quantum ad istum articulum, & ad 1. Durand. q. 3. Almain. q. 1. concl. 4. Gabr. q. 1. 2. 2. & lect. 50. super Canon. Corduba lib. 1. q. 5. dub. 3. Henric. quodlib. 10. q. 6. Picus Mirandula. q. 5. Apologiz. Canis. de B. Virgine c. 15. omniumque pugnacissimè Soar. d. 54. lect. 3. *Contraria sententia* cum affectis, VVadingo d. 12. dub. 4. §. dico terrib. Bernal. d. 69. lect. 2. §. 1. num. 53. Ex aduerso verò, adhuc dona alia inferiora Deitate, quæcumque in Christo, siue gratia habitualis, siue vnio hypostatica, sint, non posse eius humanitatem inferiori cultu, quàm ob Deitatem unitam ipsi debetur, adorari, plures alij docent. In his numeris Damascenum, Albertum, & S. Th. n. i. citatos, licet falso pro opposita citentur; Item S. Bonauerum in 3. d. 9. a. 1. q. 1. Maior q. 1. ad 4. concl. quatenus asserunt humanitati existenti sine Deitate deberi hyperdusiam; quare existenti, cum Deitate, seu non negata Deitate de ipsa deberi cultum superiorem, & Deitatis excellentiæ proportionatum planè supponunt. Expressius id docuerunt Catherin: Opusc. de ador. imagin. col. 4. VValdens. t. 3. c. 119. Claudius Sanctes de rebus Euchar. repetit. 9. c. 3. vers. med. Clichtoux 2. de Euchar. c. 10. num. 5. & 6. Vasquez d. 96. c. 4. quem plures etiam sequuntur, tandemque in eandem sententiam venit Cardinalis de Lugo d. 35. n. 57.

CERTAMEN II.

Vasqui sententia verior probatur.

1 Placuit nobis semper Vasqui nostri in re prelati iudicium: cum quo & citatis censemus Christi humanitatem ob alia à Deitate dona inferiori cultu adorari non posse. Placuit etiam in primis probatio eiusdem, licet à paritate sit: quia continet, si penetratur rationem à priori illustrem. Sic autem habet, in cultu vrmano, & politico non licet Principem inferiori aliquo titulo colere, vel honorare, v.g. compellere Regem *senioria*, vel *excellentia* hispanè: quia habet dignitatem Regiam superiorem, cui debetur *Magestad*, licet comitis, ducisque inferiores Regia dignitatis habeat: quin, qui illis cum nominibus honoris causâ compellatur, non politicus adorator, sed inurbanus iniuriator haberetur, ac de impudentia puniretur: ergo, cum in humanitate Christi adit titulus excellentissimus Deitatis, ea solum adoratione, quæ is exigit titulus, colenda necessario erit: nec poterit inferiori, quæ titulis aliis inferioribus respondeat adoratione coli. Responderetur vulgo negando consequentiam, & paritatem. Cum enim homines animum venerant non videant, credunt eum, qui politica adoratione titulis minus excellentibus, & inferioribus ipsos honorat, velle eis denegare superiorem titulum, quem habent: at verò cum Christi humanitas titulus sui adoratoris animum videat, licet inferioribus titulis adoretur, superiorem Deitatis unitæ sibi ab illo non negari, sed recognosci potius, tunc etiam videbitur: quare non iniuriæ, sed obsequij loco reponet, cum ob inferiores titulos adoratur. Bene: sed videntur tam constanti ac perpetua coniectura negari superiorem cultum ab eo, qui minorem solum deserit homines coniectantur: nisi ex ipsa adorationis vniuersum sumptæ natura discurrant: Licet enim colentis animum non videant, si alius esse possit in sic adorantibus politice temere omnes homines ipsorum animum in detersis interpretantur: quod non nisi temerè admitti potest.

2 Bernal proxime §. 2. num. 64. ait fundamentum constantis coniecturæ illius esse, quod amici deferre aliis soleant honoris, & cultus, non solum, quod debeant, sed summum, quod possunt; quare ij qui minus cultus & adorationis quàm possunt iis deserunt quos adorant ac venerantur, satis ostendunt se in illis superioris adorationis & cultus titulum non recognoscere. Sed contra: quia, si non ex natura adorationis cultus summus, qui in quemque cadere possit, exhiberetur, sed ex affectu amicitie, non inferretur eum qui alium ex inferiori & minori summo alium coleret superioris adorationis & cultus titulum non recognoscere sed in eo non se gerere ex perfectâ amicitia, vel si maus ex inimicitia etiam se gerere, licet superiorem titulum in adoratore cognoscat. Contra secundò: quia, etsi quis Regem esse metia fateatur, quem politice adorat ob titulum comitis, vel Marchionis *senioria* ipsam compellendo imprudens iniuriator, non adorator habebitur: quo in casu, & similibus coniecturæ locus non est. Nulla igitur redditur Vasquiano argumento ratio dilparitatis ab aduersariis, sed quoniam bene arguentibus à pari rationem eandem vtrouique adesse incumbit probare, eam, licet breui, subiunxit Vasquez: quia adoratione natura sua solum summa cuique possibilis potest, debetque exhiberi quoties adoratur. Cuius veritatis præter exemplum adorationis & cultus politici notati à Vasquez ea nobis fatio à priori succurrit: quia adoratio natura & essentia sua est actus natura sua supremus honorandi alium, & recognoscendi quantum nobis adoratus excellat: ergo adoratione negamus nobis excellere in gradu superiori eo, quem adoratione ipsa

reco

recognoscimus: ergo, si adoratio summa quæ ipsi deferri potest, non sit, erit iniuria adorati, non autem adoratio, quæ summa ipsi delatui possibilis esse debet. Hinc in cultu & adoratione politica inferior quæque est negatio superioris v.g. *Merced* negatio est, vt hispano latino loquar, *senoria*: *senoria* est negatio excellentiæ: *excellentia* *senenitatis*: *senenitas*, *altitudinis*: *altitudo* denique est negatio *Maiestatu*.

3. Languescunt inde aduersariorum fundamenta: quia, etsi humanitas Christi donis omnibus supernaturalibus, & præcipue vnione hypostatica formaliter, & secundum se spectata, creaturis singulis, & omnibus longè excellat: at non eis summè bonis illis excellit, sed longè amplius Deitate, & persona diuina, quam vnio ipsi afferat: quare ex hac sola adorari, & potest, & debet.

Instant aduersarij. Non semper debemus adorare humanitatem ob Deitatem: nunc enim liberum mihi, & integrum est adorare, vel non adorare illam ob Deitatem: ergo, cum nihil adorationis debeam, si adoro ob gratiam habitualem, gratuitum aliquid & gratum humanitati Christi obsequium præstabo. Respondetur non debere nos esse in continua actuali adoratione humanitatis Christi ob Deitatem; vt probatur: at quotiescumque adoratur sumus debere illam ob summam excellentiam Deitatis adorare, vt nuper dicebamus: quia, licet nunc non debeamus absolute adorare, si tamen, liberè etiam adoraturi sumus, debemus ob Deitatem adorare: quare, si titulo inferiori adoremus, spontaneum quid illi præstabimus, non obsequij quidem, sed iniuriæ. Ecce: nec Regem adorare semper debemus: at, si nunc vt comitem, vel Marchionem adoremus, non tam liberam adorationem, quam vltro neam iactabimus contumeliam. Instant denique. Potest Christi humanitas ob vnionem hypostaticam, & gratiam habitualemente amari, & laudari: ergo, & adorari. Patet: quidquid enim motuum amoris est, laudibusque esse potest, potest & adoratione. Negatur consequentia: quia adoratio non est ob quancumque perfectionem, sed summa honoratio, ob summam excellentiam adorati præ adorante; amor autem, & laus ab æquali, imò & a superiori ad inferiorem esse optimè potest: vnde probatio consequentiæ euanescit.

4. Probat secundo, nec admodum segniter eandem sententiam Lugo ab absurdo: quia, si quis ob inferiores summa perfectiones adorari posset, posset quidem persona Verbi quatenus habens humanitatem, siue hic homo Christus adorari adoratione dulci, vel hyperdulci ob gratiam habitualemente: quod est erroneum, cum sit persona diuina Filij. Negat assumptum Bernal: quia persona Verbi non sanctificatur gratia habituali, cuius non est capax, sed sola humanitas. Contra: quia, vt persona quæuis adoretur ob excellentiam sanctitatis, vel quamuis aliam, non est opus, vt personalitas, qua personatur immediate gratiæ & sanctitatis capax sit, (vt patet in personalitatibus citatis, in quocumque consistant: siquidem, nec rationales, neque bonitatis morales sunt capaces.) sed satis est, si capax vtriusque sit natura, immediate, & ratione illius tota persona ex natura, & personalitate consistat euadat, sitque, & dicatur absolute sancta: at sic hæc persona Christi, siue

hic homo Christus verè est absolute, diciturque gratus, & sanctus habitualiter: ergo, ni aliud obstatet posset adorari ob gratiam habitualemente. Contra secundo: quia licet gratia habitualis non sanctificet personam Verbi: at excellentia aliquomodo ipsam pertingens est ratione humanitatis assumpta, quod satis est ad adorationem atque summisionem in signum excellentiæ respectu nostri Verbo exhibendam. Confirmatur: quia humanitas Christi maternitate non sanctificatur, & tamen in horum sententia adorari à nobis potest ob illam: quia scilicet tantam, tamque excellentem habuit Matrem: ergo, & Verbum, quia tam sanctam habitualiter humanitatem, atque in gratia habituali, ac reliquis donis supernaturalibus excellentem habuit, poterit adorari: imò ob excellentiam maternitatis, quam vnica sibi humanitas habuit, cum Verbum immediato post gradu pertingat. Confirmatur secundo: quia excellentissima entitas vnionis æque immediate pertingit personam Verbi, atque humanitatem, quæ ob ipsam cultu inferiori, quam ob Deitatem potest per hoc adorari.

5. Dupliciter responderi videbitur his argumentis. Primo: omnes hæc excellentias formaliter eminenter contineri in excellentia Verbi, ac proinde ob eas adorari non posse. Verò doctrina, sed qua aduersarij vtique nequeant: siquidem, & excellentiæ omnes creatæ humanitatis Christi formaliter eminenter etiam continentur in excellentia Deitatis, quam habet humanitas, quæ tamen ob illas cultu inferiori adorari per ipsos potest. Secundo dices: cum Verbi persona in hoc homine cogitur non posse dari cognitionem præcisam excellentiæ diuinæ, quæ necessaria est, vt ob alia bona, & excellentias creatas humanitas adoretur: contra tamen, quia simultanea cognitio excellentiæ diuinæ, liberos nos relinquit, vt ipsam, vel Deum ob illam adoremus; vt cum Soaristis, & Bernali ipso docebamus cert. 1. n. 2. & 3. Quare, licet simul cogitetur, poterit Verbum non adorari ob illam, sed ob excellentias creatas numeratas. Contra secundo: quia adoratio inferior in hac sententia aduersariorum, neque est negatio superioris adorationis, neque illam infert: quare simul poterit adoratio ob excellentiam diuinam, quæ necessario cogitur; superior & inferior ob creatas excellentias Verbo vnio deferri. Denique cognitionem præcisam dignitatis superioris adorandi, & representationem inferioris satis non esse, vt ex inferiori titulo adoretur, facile ostenditur ab opposito contemptus, & prælationis respectu eiusdem: ad quæ satis non est illum considerare secundum inferiora, quæ habet, præferendo à superioribus: alioqui considerato Rege Hispaniæ sub titulo comitatus alicuius paruuli præfere ab alijs, posset aliquis è suis dominis se illi præferre, & iustus quiuis considerata humanitati Christi secundum se: quod est blasphemum. Ad adorationem ergo, quæ est natura sua recognitio maioris excellentiæ alienæ, & ad propriam prælationem, & contemptum alicuius præ nobis illi oppositos, qui sunt recognitio excellentiæ maioris propriæ integer status, & aliorum, & nostri, qui re ipsa est, cognosci debet, vt licite, ac non vanè, vel quis adoretur, vel contemnatur, aut possideatur.